



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VASHINGTONENSIS** \* IN FOEDERATIS

AMERICAЕ SEPTEMTRIONALIS CIVITATIBUS

NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONSTITUITUR,

«VASHINGTONENSIS» NOMINE. Fidelium christianorum boni consequendi causa atque eorum utilitatis  
fovendae censuit venerabilis Frater Eduardus Ioannes Harper, Episcopus titulo Eracleensis  
Ponticus et praelature «nullius» Insularum a Virginibus seu Thomasianae sacer Praesul, esse  
cum rei catholicae prosperitate apprime coniunctum si Ecclesia, cui ipse preeest, a metropolitana  
Sede Sancti Ioannis Portoricensis separaretur atque Washingtonensi, ad hanc scilicet dignitatem  
ejectae, tamquam suffraganea subiceretur. Eius enim territorii incolae praeterquam quod  
anglicam linguam tamquam usitatum sermonem habent, civili praeterea potestati supremi  
Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum Praesidis sunt obnoxii. Quapropter eiusdem  
venerabilis Fratris optatis precibusque, Apostolicae huic Sedi adhibitis, libenti animo accedere  
volentes, post auditos hoc super negotio venerabiles Fratres Aloisium Aponte Martínez,  
Archiepiscopum Sancti Ioannis Portoricensis, et Patricium L. O' Boyle, Archiepiscopum  
Washingtonensem, deque sententia venerabilium Fratrum Emmanuelis Clarizio, Archiepiscopi  
titulo Claudiopolitani in Isauria, in Republica Dominicana Apostolici Nuntii simulque in Portoricensi  
Ditione ecclesiasticorum negotiorum Gestoris, et Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titulo Myrensis  
atque in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus Delegati Apostolici, de consilio denique  
venerabilium Fratrum Nostrum S. R. E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi Consistoriali  
praesunt eorumque praeterea suppleto consensu qui hac super re ius aliquod habeant vel se  
praesumant habere, suprema et apostolica potestate Nostra sequentia decernimus atque  
iubemus. Archiepiscopalem sedem *Washingtonensem*, hactenus Apostolicae Sedi directo  
subiectam, ad gradum dignitatemque *metropolitanae* attollimus, iuribus concessis quae eiusdem  
gradus Ecclesiis ex iure communi competunt, eique tamquam suffraganeam subicimus  
praelaturam «nullius» Insularum a Virginibus seu Thomasianam, quam scilicet a provincia  
ecclesiastica Sancti Ioannis Portoricensis subtrahimus. Metropolitam autem preeponimus  
venerabilem Fratrem Patricium L. O' Boyle, adhuc Archiepiscopum Washingtonensem. Haec vero  
exsequenda studeat venerabilis Frater Aegidius Vagnozzi, quem diximus, vel ab eo delegatus vir,  
dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui autem negotium perficerit congrua  
documenta exarabit ad Sacramque Congregationem Consistorialem quam primum mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.*

IACOBUS A. Card. COPELLO  
*S. R. E. Cancellarius*

CAROLUS Card. CONFALONIERI  
*S. Congr. Consistorialis a Secretis*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus H. Ferretti, Proton. Apost. Decanus*

*Caesar Federici, Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 6, pp. 424-426 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana